

[début 1600] Mémoire au Pape Clément VIII au faveur de Jacques VI.

Ad Clementem VIII, Pont. Max. De Jacobo VI, Rege Scotiae.

Beatissime Pater. Duo sunt quae V. Beatitudinem inducere videntur, quo minus de conversione Serenissimi Scotorum Regis bene speret. Primum, quia cum sit literatus, arrogans et pertinax, in opinione manet. Secundo, nullum dat signum.

*Drummond of IV 837*

Quibus de facili V. Beat/ni respondetur: literatum esse, et in literis humanioribus, a Georgio Buquhannano heretico, educatum. Hec scientia inflat, praesertim in principe inter illiteratos ministros, arrogantiam, et pertinaciam, parit: quae heresim concomitari solent. Theologiam vero aliam, praeter solam sacrae scripture literam depravatam quae occidit, et interpretes hereticos, nunquam vidit. Tam pie matris, tantarumque lachrimarum filius, devius errat, sed non deperditur: Imo relictis nonaginta novem bonum pastor, ovem deperditam queret, et inventam, ad ovile reducet; injuria temporis non pervicacia voluntatis, est. Nam matre ab hereticis capta et in carcerem trusa, princeps quoque filius, ab ipsis incunabulis, matris gremio ereptus, hereticis traditus est educandus. Heresim cum lacte imbibit, recens testa servavit odorem diu, quem nunc trigesimo quarto aetatis anno, qui annus est jubilaei, Christi dato, incipit amittere. Dicit se omni heresi relicta, puritatem querere evangelii, in hoc cum ecclesia catholica consentit; de sensu vero scripturae, incipit patribus credere, et receptis ab ecclesia interpretationibus, prout politiae ecclesiasticae et juri canonico. Ista sunt principia motus et mutationis, in quibus si quod speramus perseveraverit, et catholicos catechisantes audierit, ab arrogantia et pertinacia haud dubie recedet: praesertim, cum sponte controversiarum molem, principum et doctissimorum docte sentientium consensu et autoritate, e medio tolli desiderat: quorum se submittit arbitrio. V. Beat/nem et principes christianos invitat unanimes ad bellum sanctum, contra Christiani nominis invisos hostes, ineundum. Hoc V. Beat/ni cupit innotescere, cui prospera omnia, faeliciciaque precatur, per literas ad nuntium qui est Bruxellis scriptas. Quas mihi tuto deferendas dedit; et haec omnibus innotescere desiderat.

Secundo nullum dat signum. Numquid sereniss/mam Reginam patitur, et laudat, catholicam? Quis reconciliavit? Non desunt confessores, et sacerdotes, in Scotia. Quamvis aemuli, qui atrociter principem offenderunt, et cum Regno personam deperdi querunt, aliter informant: et hic sunt, qui presentes, Reginam heresim abjurantem: et professionem fidei in forma Concilii Tridentini facientem, obedientiam Summo Pontifici et huic sedi promittentem, viderunt. Dat filias suas charissima pignora, catholice educandas, Dnae de Levingstone, quae est catholica, et in palatio Regis demoratur: quamvis a ministris hereticis, excommunicata. Conestabulus est catholicus. Marchio Huntleus, Comes Arcadie, Comes Orcadum, Comes Anguisius et plures alii, majorem Scotiae partem et saniolem efficientes. Preses, Secretarius, advocatus, Magister domus, magna pars gubernatorum provinciarum, omnes denique fere officiales. Archiepiscopum Glasguensem, oratorem suum, apud sereniss/mum Galliae Regem, constituit. Illum in Archiepiscopatum, publicis comitiis reintegravit. Injunxit ministris, ut modestius se gererent; publice fatetur majorem in catholicis, quam hereticis inesse fidem, ubi celebretur in Scotia, scit, et ministrorum queremonias irridet. Crucem collo appensam, cum reliquiis fert, cujus virtutem venefice mulieres, rege interrogante, confesse sunt; nunquam in catholicos religionis ergo sevit; novissime IV. Beat/ni et suo nuntio in Flandria, scripsit, quod numquam antea fecit, <sup>1585-1590</sup> quamquamvis per breve fel. record. Sixti quinti ad scribendum invitatus fuerit; qui ad illum Episcopum Dunblanensem, Carthusianum, Episcopi Vasionensis patrum, cum Guillielmo Creytonio, Societatis Jesu, et fratre meo, qui in eadem negotiatione ab hereticis in Gallia interfectus fuit, misit. Actionum suarum in hac curia testem querit, et quibus rationibus ad hoc inducatur, ostendit: pollicetur per instructiones manu sua subsignatas, se nolle ulterius progredi, si in petitione profecero, et ubi de eo redditus fuerit certior. qui a secretis Regis consiliis sunt, catholicis obtulerunt, ut si a V. Beat/ne in casum necessitatis, impetrare possent, spem auxilii, se parlamentum edicto, libertatem conscientiae publicaturos, quod de Regis scientia et mandato, dictum est probabile. Ex his flexus, dubiusque principis animus, facile dignoscitur. = Si =

10 \* Carthus 1585-1614

animus, facile dignoscitur. Si vero, aut omnino non est catholicus, aut publice non profitetur, quod sentit: educatio, et status regule subsequentes, illum excusare videntur.

Omnis Reipub. status, ac formae mutatio, multa secum incommoda trahit, ac perinde periculosa est, subditis molesta, seditionum, ac rebellionum occasionem probet. Propter mutatam enim a principe, vel publice, vel privatim Religionem patriam, et ob peregrinam susceptam, populus sepe a principe deciscit. Et a principe vel repub. sacra jam recepta, mutata: seditionem etiam adversus principem ipsum movent.

Non modo difficilis, verum etiam parum diuturna, que fit ex una forma, in aliam mutatio reipub. nisi firmissimis presidiis, nova illa forma constituta muniatur; et illi paulatim cives assuescant.

Violate religionis pretexto, sepe in viros bonos, et Reipub. utiles, ac egregios, quoniam alia occasione everti non possunt, insidie, et criminationes, magne, et false struuntur, ab inimicis: quod nuper in Scotia accidit, contra octavianos conciliarios catholicos regis.

Rex fuit juvenis, concilium hereticum, ex quo infertur: quod ubi aerarium publicum omnino deest, vel est tenue, ac invalidum, ibidem rerum prestare gerendarum fundamentum deficit; unde necessario publicum aerarium habendum est, et illud etiam, pro magnitudine imperii, et ceptorum, conciliorumque ratione copiosum et locuples.

Praeter ordinarium aerarium, quod publicis sumptibus ordinariis sit destinatum, aliud quoque ad extraordinarias clades, ac calamitates sublevandas seorsum sancteque reservatum, in quaque republica esse oportet.

Vana est sine viribus via. Itaque quantumvis injuria sit imbecilliori populo facta, ab Anglio; qui in Scotiam, et Hiberniam, heresim introduxerunt; illa tamen ab imbecilliore est, vel dissimulanda, vel demum vicinorum viribus adjunctis, ut pares esse possint potentiori, ulciscenda.

Ex quibus omnibus facile colligitur, Regem sine summo sui status, ac nobilium periculo, ad plenam Religionis mutationem, devenire non posse

ob Angliae reginam, et hereticorum potentiam. Querit tamen sibi vicinorum vires adjungi, et principum christianorum. de novo foedus, cum Gallorum Rege confirmavit in Hispaniam, Germaniam; et me ad V. Beat/nem ablegavit. Nec Regis animum, et cogitationem ad mutationem Religionis tendere, clare ostendunt, et ipsi heretici hoc expectant. Nec est quod V. Beat/do credat plerisque Scotis aut Anglis male erga Regem affectis, nec Principibus vicinis, quorum ambitio, pace V. Beat/nis, et tantorum principum, dixerim: Regis mei regnum, cum in predam primo occupanti dari velint, de conversione dolerent fortasse magis quam gauderent.

V. Beat/nis solita prudentia, pulsanti principi gremium ecclesiae aperiet, invitabit, admonebit, languidum in piscinam injiciet, demum, et errantem in rectam reducet viam: ut arbor que expectabatur, ut faceret labruscas, uvas producat, et septentrionalis abjecta lapis, angularem domus se constituat. Brevi obedientiam Regine recepturam confido. Rex V. Beat/nis mentem expectat. Interim parcat, queso, et ignoscat S.S/tas si pro Scotia dulci et jucunda Patria, decerto, a qua a viginti quatuor annis, non exul sed absens fui.

Eam arete spero desiderio, ut quamvis duas habeam patrias, unam naturae alteram civitatis: in Scotia natus, et in Comitatu Vanaijssino V. Beat/nis receptus. indolum saxi affixum, si ibi vigeret religio, domicilio seminibus gravidato, omnia ex sese pariente, floribus herbis, arboribus, et frugibus restituo, anteponerem.

Vestrae S/tis est, ante oculos ponere, ratione animoque lustrare, magnum quidem, et hoc arduum opus: et ingredientibus considerandum, et tale, ut haud sciam an de humanis operibus maximum dicere ausim. cum de Religione, s/ta pietate, cultu divino, in antiquissimo et omnium sermone celebrato Regno, agatur. Quod si hac vice destituantur catholici V.S/tis et hujus sedis vadimonio, deserti, non dicam inani spe delusi, sed destituti, desperatio, quae est sine ulla rerum expectatione meliorum, ita catholicorum animos occupabit ut oppressa, et a quovis opitulari, desperati, pro-

4  
ra relictas, ad malum et puppim se recipiant. V.S/tas que in prora sedet, et clacum ecclesiae manu tenet, huic malo, facile mederi, potest. Haec coram, et vivo vocis oraculo, que magis fortasse affecisset si mihi a tam arcto V. Beat/nis cemere magistro daretur accessus, de quo rex ipse Jac dubitabat, dixissem. Et Deus opt. max. V. Beat/nem quamdiu ecclesiae suae S/te servet incolumem.

Pro Serenissi/mo Scotorum Rege. (d'une autre main): Al Sig/r Card<sup>x</sup>l  
Bellarmino.

Ms. Anglia. 31 [Hist. II. 1590-1615] p. 376-78. 2485

3. Facultates spirituales quae a Sua Sanctitate petuntur pro Regno Scotiae.  
1. Facultas absolvendi in foro conscientiae ab omnibus peccatis, censuris et poenis ecclesiasticis reservatis Sedi Apostolicae, etiam in bulla Coenae Domini. 2. Dispensandi cum sacerdotibus super omni irregularitate [hactenus contracta] praeterquam in ea quae contrahitur ex homicidio voluntario. 3. Dispensandi super male perceptis beneficiorum ecclesiasticorum fructibus cum quibuscunque [ad ecclesiam redeuntibus]; et cum catholicis ut possint etiam fructus beneficiorum in posterum retinere donec religio catholica restituatur [facta parte aliqua, arbitrio Patris vel eorum quibus conceditur facultas, in usus pios]. 4. Dispensandi super omnibus impedimentis matrimonii contracti [non autem contrahendi], quae sunt de iure positivo, in foro conscientiae, et donec restituatur religio catholica [exceptis primis gradibus]. 5. Benedicendi et consecrandi calices et altaria portatilia, et omnia paramenta altaris et sacerdotis [Ad biennium]. 6. Communicandi has omnes facultates aliis idoneis sacerdotibus. [Ad biennium]. 7. Ut Sua Sanctitas dignetur concedere Indulgentiam plenariam omnibus catholicis qui suscipiunt bellum iustum contra haereticos; et eandem, in articulo mortis, illis qui in tali bello moriuntur.

Rome, Archiv. Vat. Borgh., ser. I, n. 715, fol. 124. N.B.: Tous les mots entre [] sont de la main de Bellarmin.